



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 10. De anim vnione cum corpore, ad tex. com 27.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

TEXTVS.

Καὶ οὐχ ὡς οἱ πρῶτοι εἰς αὐτὰ ἐθελοῦσι αὐτῶν, αὐτῶν ἀποδείξασθαι ἐκ τίνος τινος οὐδὲ φανεροῦν τῶν πρῶτων πρὸς αὐτῶν ὅτι οὐκ ἔστι λόγος ἰσότητος τῶν ἐπιπέδων δαδῶναι ὑπερβολῆς, ὅτι οὐκ ἔστι λόγος ἰσότητος τῶν ἐπιπέδων οὐδὲ τῶν ἐπιπέδων ἐξ ἑαυτῶν τῶν ἐπιπέδων φανεροῦν οὐκ ἔστι.

Et non sicut illi, qui ante nos fuerunt, ad corpus aptabant ipsam, nihil ultra definientes, in quo & quali, cum tamen non quolibet videatur recipere quodlibet. Sic enim sit & secundum rationem. Vni cuiusque enim actus in eo quod potestate existit & in propria materia, aptus natura est fieri. Quod dicitur actus quidam est & ratio potestatem habentis, ut sit huiusmodi, manifestum ex his.

COMMENTARIVS XXVII.

Antiquiores Philosophos superioribus verbis commendauit, quod animam dixissent non esse quidem corpus, at sine corpore non esse. Verum magno opere nunc reprehendit, quod nihil de huiusmodi corpore docuerunt quasi vitam definitionis partem confirmas; qua anima dicebatur esse actus corporis organici. Siue enim a corpore separari, siue sine corpore cognosci atq. intelligi non posse voluerint; perinde peccarunt. Etenim corpus animae est tum subiectum & materia, tum instrumentum. At materia & forma, potestas & actus relationem significant: agens item causa & proprium illius instrumentum: simulque cognosci & explicari debent. Certè nec forma quauis in materia quauis suscipitur, nec instrumentum quodlibet cuiusuis agentis ad opus quodlibet efficiendum est vsui. Verum & agentia singula habent instrumenta certa, & formae quaeque proportionatam sibi materiam possunt; & perfectio quauis in eo fieri natura sua est apta, quod naturalem ad illam potestatem habet, & est proxima eius materia.

Anima corporis que proprie.

Vtramque rationem pulchrè complexus est in textu 53. lib. primi. Sic enim aduersus Pythagoreos loquebatur. Hi autè solum nituntur dicere quale quid sit anima, sit de suscipiente corpore nihil ultra definiunt, quasi contingat iuxta Pythagoricas fabulas, animam quamuis in quod vis ingredi corpus videtur enim vnum quodque propriam habere speciem & formam. Perinde autem inquirunt, ac si quis fabrillem dicat in tibus ingredi. Oportet enim artem instrumentis uti, animam verò corpore. Quem locum maximè videtur hic contextus spectare, quem interpretamur, & ex eo non parum illustrari. At nunc ex materia potissimum & formae natura argumentum deducit. Quemadmodum enim vnaquaeque potestas non quolibet actu perficitur, sed certo & determinato, qui optimè illi conueniat: ita nec quilibet actus in qualibet potestate conuenienter suscipitur: nec quilibet forma apta est materiam quamcumque formare, sed certam aliquam determinatis dispositionibus affectam & preparatam. Nam & quadrupedum, & bipedum, & terrestriū, & volatiliū, & natantium corpora plurimum dif-

ferunt, singula pro ratione animae, futurarumque operationum optimè comparata. Quod de generibus & speciebus animalium, atque viuientium intelligas. In indiuiduis enim si diuersa est morum & actionum conditio; non propter eam comparatum est corpus, sed ea potius ex corporis temperatione nascitur. Itaque non fuit satis dicere, animam esse actum corporis, sed addendum fuit, cuiusuis & qualis corporis sit actus. At corpus ad ea suscipiendū aptum est corpus organicum, ergo animam bene definitum à nobis est esse actum corporis organici potestate vitam habentis.

Itaque vniuersalem hanc de natura & definitione animae disputationem iure optimo concludit, ex dictis manifestū iam esse animam, esse actum quandam & rationem, hoc est actum primū & formam, corporis potestatem habentis ut sit huiusmodi, hoc est ut viuat & habeat animam eique famuletur. Quae sanè postrema verba illis respondent, quibus in tex. ii. priori definitione inquebar figura fuisse dictum quid sit anima, nūc enim manifestè magis explicatum est.

Digressio X. De vnione Anima cum corpore.

Ex quo loco duo cognosci possunt, Alteri, Intelligentem animam Aristoteli fuisse formam formam: siquidem animam omnem propterea probat esse actum determinati corporis; quoniam quilibet actus non in qualibet materia & potestate suscipitur, sed in certa quapiam & determinata. Quae probatio de formante solum forma aperte loquitur.

Alterum; id, quod à Philosophis curioso disputatur, num vnio animae cum huiusmodi corpore sit naturalis, hoc est cum naturali propensione partium, quae vniuntur. Quid sit vnio formae cum materia, in superioribus dictum est in commentario 8. Iam de eo, quod quaeritur, corpori quidem naturalem esse, videtur manifestum: quia cum ab anima perficiatur, ad eam nimirum tanquam ad perfectionem inclinatur. Certum etiam est, naturalem esse vegetanti animae & sentienti, omnique formae, quae ex materia potestate educatur. Propterea quod ex omnes ex materia accipiunt esse & perfectionem. Itaque intelligentis animae propria est haec difficultas; ut non dubitauerit S. Augustinus in libro de spiritu & anima miraculo plenum affirmare, quod tam diuersa & distita coniungi poterint. Dignior enim huius animae natura videtur, quam ut corpori sociari debeat. Etenim ea perfecte subsistens est, minime pendens à corpore; nihil ab eo accipit, siue ut sit, siue ut operetur. Quin illud potius detrimenti patitur, ut nec seipsam nec res ceteras immateriales liberè possit intelligere: sed sensibus uti & phantasmatis debeat. Deinde si vnionem concupisceret, violenta foret separatio. Et si ad vllum corpus propenderet, nequaquam illud videretur esse hoc nostrum, quod gestamus: quoniam nimis terream est, graue, crassum, & materiale; ineptissimum ad propriam illam huius animae operationem, quae pondere hoc & mole corporis hebetatur magno opere ac penè obruitur. Tenuius aliquod & simplicius corpus, quale esset Caeleste aut aereum & spiritale, magis eam deceret. Et ut vno verbo dicam, quemadmodum illa perfectissima est forma, ita perfectissimum corpus deberet appetere. At natura

strum hoc tam esse imperfectum ut à bestiis quoque corporibus multis in rebus superetur. In nutritione vincitur à struthio; camelo in aceretione à pluribus; quæ maiorem acquirunt corporis mole; in procreatione ab alijs, quæ sapius & plura procreant. In odoratu à Vulture & Canis; in aspectu ab Aquila, gustatu à Gallina, auditu à lepore & cuniculo, motu à Ceryno & ambus, ac demùm in vestitu & armis pene ab omnibus. Quæ certe in anima referri non possunt, quod ea in homine omnium perfectissima sit. Sed defectus est & imperfectio corporis. Et fortasse dubitari potest, num propterea Plato animas nostras iudicaverit nequaquam fuisse conditas, ut cum nostris hisce corporibus, sed cum celestibus, videntur: verum propter earum peccata detrusas in hæc inferiora, ut peccatorum in illis lucret panas, ad celestia tandem reverturas, sanè Proclus in Alcibiadem primum, cum id, quod naturale est, frequentius esse videret eo quod est præter naturam; hominumque plurimos ignorantes esse malos, contrarios autem quam paucissimos. Id minime mirandum esse respondit. Non enim inquit, naturale est animis vna cum corporibus vitam degere & in generatione versari. Sed contra separata animalis, incorporea vitæ potius est animis consentanea. Quando in generatione versantur, similes sunt hominibus pestilentem habitantibus regionem. Quando verò extra generationem vivunt, ut Plato inquit, similes sunt præta colentibus. Quemadmodum igitur non mirandum inter eos, quem pestifera incolunt loca, languere quam plurimos; paucissimos verò naturalem valetudinem conservare; sic & animas in generationem positas plurimas obnoxias passionibus atque pravis esse mirari non debes. Hæc ille.

Tam igitur ostendendum est, hoc quoque animæ genus naturali propensione ad hoc nostrum corpus accedere; hæcque materiam huic forme plurimum convenire. Propensione ad corpus ex eo colligimus, quod anima ens est imperfectum & diminutum, non perfecta & integra natura; sed velut pars & actus cum altero aptus vni tanquam forma. Ex hoc enim necessario consequitur propensio & inclinatio ad vniõnem. Quare non nisi ægre & cum summa difficultate separatur atque discedit à corpore. Sed quoniam naturam habet abstractam & minime pendentem à corpore, est illi quoque maximè naturale per se subsistere, nec indigere subiecto, in quo sustentetur. Quoniam tamen illud esse subsistens naturæ est dimidiatæ, non integræ alicuius actu perfectæ speciei: habet quoque aptitudinem & inclinationem ad vniõnem cum corpore. Quæ inclinatio nil aliud significat, quam ipsam animæ essentiam dimidiatam & aptam, ut sit alterius pars. Igitur intelligens anima cum cæteris formis hoc convenit; ut quia entitas est incompleta, sit apta coniungi cum corpore. At in eo magno opere separatur; quod abstracta cum sit & perse subsistens, non inherendo coniungitur, aut accipiendo esse à corpore, ut cætera forma; sed solum dando illi esse, & constituendo compositum tanquam illius pars. Quamvis verò nil ea entitatis absolutæ ex hac vniõne acquirat: acquirit tamen, ut sit actu pars, atque per suam hanc causalitatem & actum secundum constituat totum. Tum verò facultates & operationes omnes sentientes & vegetantes, quas extra corpus non haberet; cum necessario pendent ex corpore. Denique cum essentialiter sit pars, non potest non incli-

nari ad totum suum, ut quælibet pars inclinatur, ut sic cum toto coniuncta; etiam si nullam inde perfectionem deberet acquirere, ut cum partes propter totius conservationem interitui se ipsas exponunt. Quæ cum ita sint, facile intelligi potest, propensionem naturæ non solum esse ad perfectionem aliquam acquirendam, sed etiam ad impediendum. Aut si aliquam acquiri oporteat: anima quoque intelligens eas, quas dixi, perfectiones consequitur.

Nihil autem amittit, dum cum corpore coniungitur. Tum quia si prior fuisset corpore & perfectionem alium intelligendi modum habuisset; aliquid fortasse amitteret, dum in corpus detrusa priorem intelligendi modum acciperet. At cum nusquam ante corpus extiterit, nihil potest amittere. Sed in corpore primum creata tanquam tabula, in qua nihil est scriptum, corporis organorum interitum intelligere incipit, post ab ijs soluta leberius intellectu. Tu quia uterque sanè intelligendi modus est illi naturalis & accommodatus. Sed alter præsentis est conditionis, alter futuræ. Et nunc quoque dum perphantasma intelligit potestatem habet intelligendi sine illo, esse eam nunc exercere non possit. Naturale verò illi est intelligere prius per phantasma, quam sine phantasmate; quoniam naturale est prius esse in corpore, quam à corpore separatam.

Facile etiam intelligitur, huius animæ propensionem ad corpus eo potius spectare, ut det esse, quam ut accipiat. Etenim dat esse absolutum & perfectissimum, nec nisi accidentarias quasdam consequitur perfectiones, quæ minime absolutam eius essentiam attingunt. Propensionem autem aliarum formarum esse, tum ad dandum esse, tum ad accipiendum. Et ideo hæc nullo modo possunt esse sine materia; & si essent, per vim omnino consisterent. Anima nostra sine vlla vi potest esse absque corpore; quoniam eius natura subsistens est & minime ab eo pendens. Non est tamen absque imperfectione quadam. Quoniam illud esse diminutum est & mutilatum, magnamque in corpore perfectionem habebat. Quam ob causam cum eo rursum coniungi desiderat. An verò ex hac separata anima imperfectione, atque ad corpus propensione, possit naturali rationatione corporum futura aliquando resurrectio concludi; non est facile iudicare propterea fortasse Plato animarum posuit in diuersa corpora migrationem. De cæteris Philosophis certum est, nullum eorum resurrectionem illam cognovisse; minime verò Peripateticos. Nam qui eam assident duntaxat fecerunt formam voluerunt esse naturam perfectam, quæ sine corpore posset perfecta subsistere. Qui verò formantem esse intellexerunt, & ideo dimidiatam naturam; aut interire dixerunt cum corpore, ut Alexander; aut vnitam esse cum alio tenuissimo corpore, à quo nunquam separatur, ut Philoponus. Aristotelem autem crediderim ego hanc ob causam minus aperte interdum de illius immortalitate loquutum fuisse. Quoniam cum illud principium haberet per quam certum fieri que non posse existimaret reditum à privatione ad habitum; & tamen vnam animam non nisi vnius corporis actum esse posse; & ideo Platonicam illam migrationem minime probaret: dubius hæsit in statu illo separata anima constituendo. Immortalem eam esse cognoscebat ex operatione illius propria, quam habet à corpore non pendentem: esseque substantiam imperfectam videbat,

Propensio anima ad corpus

Intelligendi modus duplex

Propensio ad corpus quædam

Corpus vniõnis resurrectio ut cognoscatur

Quid Aristoteles de statu animæ separata

quia est actus & forma corporis. Et potest perpetuo separata & solitaria esse non posse ratiocinabatur: nec tamen dissolutum semel corpus rursus restitui posse credebatur. Hæsit igitur, nec habuit quidquam certi, quod in tam ardua difficultate nobis relinqueret. Sed quid mirum? est quidem resurrectio naturalis, si terminus eius consideretur, qui est unio animæ cum corpore iuxta naturalem ipsius animæ propensionem. Quare etiam à naturali agente producitur, quando primum nascitur homo. At si perpendatur modus, quo ea fieri debet; & agens causa, à qua eam perfici necesse est; est profus supernaturalis; neque solo nature lumine cognosci potuit. Ab eo præsertim philosopho, qui Deum iudicasset agens necessarium, finiteque virtutis. Qui verò infinitam illius potestatem, & admirabilem operandi modum intelligunt; possunt planè naturali solum ratiocinatione ex hac separata animæ conditione possibilem esse & futuram aliquando nostrorum corporum resurrectionem deducere. Atque hoc argumento inter cetera ad hoc ipsi sunt confirmandum usus est S. Thomas in 4. lib. contra gentiles cap. 79. Modum verò, quo ea futura sit, tempus, & alias huiusmodi circumstantias, nunquam nisi ex superiori lumine intelligent. Quoniam hæc ex libera Dei voluntate pendent. Et Philosophi omnes ignorantes modum, quo ea fieri posse, impossibilem profus iudicaverunt. Verum de his satis hoc loco, deque animæ propensione ad corpus.

Iam verò unionem cum tali corpore contentivissimam illi esse & maximè proportionatam (quod secundo loco demonstrandum proposueram) ex his facile intelligitur. Nam est actus corporis organici: neque potest simpliciter corporis, aut etiam mixti homogenei esse forma. Inter animas verò, atque organica corpora proportionem esse oportet. Ut quoniam corpus organicum datur animæ tanquam diversarum operationum instrumentum: animæ illi, quæ plures & nobiliores habet operationes, perfectius tribuitur corpus, quod pluribus & melioribus organis ad eas operationes obeundas comparatis instructum sit. Organicorum omnium corporum perfectissimum, esse humanum, multa testantur. Tum temperatio uniuersa, caloris & spiritus abundantia, cutis & carnis mollitudo. Tum distinctio maior & perfectior membrorum omnium. Tum erecta figura, quæ aptissima est ad perfectissimam functionem exteriorum omnium sensuum intellectiōni demum famulantium. Nam cum in alto loco sint constituti, liberiùs & vehementius operantur. Postremo accedit maxima præ cæteris omnibus animalibus cerebri quantitas; quo interiorum sensuum, qui proximè ministrant intellectui, accuratius operationes omnes exercet.

Deinde in substantiis intelligentibus aliquam esse oportuit, quæ non simplici solum intuitu, ut cetera: sed abstractione quoque à phantasmate, atque ratiocinando intelligeret. Tum ut esset in natura, intellectus quispiam, qui propria virtute ex vna re cognita deduceret & quasi procrearet: quemadmodum in rebus natura constantibus vna res potest aliam sibi similem gignere. Tum quia ut in rebus quædam sunt simplices, quædam ex alijs compositæ; sic in intelligendi modo æquum fuit aliquas esse, quæ intuitu simplici, alias quæ ratiocinando

intelligeret. Tum verò ut per eum intelligendi modum res materiales & corporeæ abstractione à phantasmatibus eleuentur ad esse immateriale & immutabile. Quia in re maximè sanè cernitur inferiorum & superiorum nexus: dum inferiora ita abstrahuntur, ut quodammodo eleuentur, atque ad esse rerum superiorum profus immaterialium traducantur. Verum ut aliqua intelligens substantia hunc haberet intelligendi modum, necessarium fuit eam cum humano coniungi corpore. Etenim hæc intelligentia caret suapte natura omni, specie & cognitione; cæca tabula, in qua nihil est scriptum; etque ad omnes potest. Itaque cognitionem suam mendicare debet ex rebus: non immediate, quoniam ea materiales nimis sunt & crassa, sed per sensuum cognitionem; quæ res ille quoquo modo eleuetur à materia & minus materiales fiunt. Sensus autem absque organo corporeo operari nequeunt. Corpori ergo sensui uniri debuit. Et cum perfectissimi sensus cum hac perfectissima substantia coniungi debuerint; perfectissimo corpori organico uniri eam oportuit. Hoc autem est humanum, quod ad sensiones omnes est quam aptissimum. Ut perfectissimus & exquisitissimus tactus ostendit, qui ex optima temperatione nascitur: is autem aliorum omnium sensuum fundamentum est. Corpûque, quod perfectissimum habet tactum, est item ad intelligendum aptissimum: & optime in tex. 94. scriptum est à Philosopho, eos homines ingenio magis valere, qui cæne molliores fuerint: quod in sanguinis tenuitatem, ac puritatem refert in cap. 2. lib. 2. de part. animal. Igitur si humanum corpus aptissime comparatum est ad omnes animæ operationes obeundas reliquum est, eam ad hoc potius, quam ad aliud quoduis, propendere, & cum eo potissimum proportionem habere.

Accedit ordo & dispositio perfectissima rotas uniuersi; quæ in eo præsertim cernitur, ut natura non tansear ab vno extremo ad aliud sine aliquo medio, quod vtriusque extremi particeps sit. Cum enim entia materialia & immaterialia in vniuerso sint extrema; materialia oportuit per alias, atque alias formæ & materiæ coniunctiones paulatim eleuari, quousque ad purè immaterialia attingerent. Primæ materiæ coniungitur primum simplicissima elementi forma; materiæ ex elementis permixtæ aduenit mixta forma: eum materia pluribus quoque mistorum formis affecta coniungitur animata forma; ac demum cum nobilissima materia huiusmodi formis constante, tanquam omnium perfectissima, uniri intelligens anima; inter omnes quidem animas & formas, quæ cum materia copulantur, suprema in genere antem intelligentiarum postrema. Ut ita immaterialium postremo cum supremo materialium copulato summus esset nexus & ordo uniuersi. Cœleste corpus cum sit simplex & non organicum anime subiectum esse non potuit. Sed aut forma constat inanimata; aut cum esse sit actus, coniungitur cum intelligentia superiori, ut ab ea motum solum accipiat. Quocirca si ea omnia corpora considerentur, quæ animæ subiectum esse potuerunt; nullum est, quod magis, quam humanum, illi conueniat.

Semperque meminisse nos oportet eius, quod in textu septuagesimo quarto, lib. secundæ, Physi.

Resurre-
ctio ma-
turalis.

Unionem
hanc esse
animæ
conuenien-
tiam.

Humanis
corporis
prestantia.

Phylic. scriptum est. Optimum aut absolute dici, aut comparatione vniuersali, & in text. 88. necessitatem in rebus natura constitutis non tam ex materia, quam ex fine iudicandum esse. Inde namque intelligemus, corpus hoc, quod dicimus, omnium optimum esse, vt ad vsum intelligentis anima opus erat. Sanè necessarium fuit esse corpus crassum, materiale, & terreum, vt consistens esset & firmum. Atid compensauit natura, tum organorum & temperationis perfectione, tum caloris & spiritus abundantia. Tantumque abest, vt ab hoc corpore illius operatio impediatur, vt iuuetur potius: cum aptissime sit ad actionem omnem comparatum, multoque magis ab alio quouis impediatur. Quòd si in vna aliqua re ab aliis superetur, in omnibus tamen simul consideratis superat vniuersa. Immo illa ipsa, in quibus superatur, perfectionis illius testimonia sunt. Etenim nutritionis perfectio non in sola alimenti coctione consistit; sed in commutatione in substantiam eius, quod nutritur. Hæc verò in homine exquisitissima est. Accretio quoque. Quoniam maxima constat propositione partium, ac situs differentiarum. Procreatio demum. Tum quia omni tempore viget; tum quia perfectissimus est humanus fetus. Quam ob causam vix potest natura plures simul ad perfectionem adducere. Quoniam si numerus quoque desideretur, geminos constat vno partu non raro procreari. Tres, quatuor, & quinque, sæpè fuisse natos, testatur Aristoteles cap. 4. lib. 7. de animal. hist. vt quatuor interdiu partibus viginti fuerint editi. Et Aulus Gellius lib. 10. cap. 3. Augusti Cæsaris ancillam refert in agro Laurente quinque pueros vno partu peperisse. Bernæ apud Helucios anno 1554. quinos item vnus partus edidit, mares tres, & duas fœminas, Septenos vifos asserit Albucras, & in Ægypto nasci memorat ex Trogo Plinius li. 7. cap. 3. quin etiam Dorotheam quandam duplici partu 20. vno 9. altero 11. peperisse; scribit Io. Franciscus Picus libro 1. Examinis Doct. Gentium cap. 16. duodecim etiam tradit Plinius libro 7. cap. 11. immò & triginta sex memorat Martinus Cromerus lib. 9. Polonicæ historiæ; aliâq. plura his similia leguntur.

Im quod ad sensus attinet, etsi quædam animalia superent hominem, quod acutissime sentiant, homo tamen omnia in eo vincit, in quo sensuum perfectio consistit: in differentiis inquam sensuum obiectorum dignoscendis. Denique quod homo sine vestibus & armis nudus & inermis in hanc lucem prodeat duas ob causas factum prodidit S. Gregorius Nyssenus in lib. de hominis officio cap. 7. Alteram, hæ ferus & crudelis esset homo rebus ad exercendam scitiam comparatis instructus. Alteram, quia creabatur is à Deo, vt omnibus imperaret ac cæteris omnibus xteretur; ad cursum equo, ad vestitum ouium lamis, aliisque simili modo. At sapienter Philosophus in cap. 10. lib. 4. de part. animal. perfectionem illius in eo agnoscit, quòd manus habeat & rationem, quibus omnia sibi necessaria comparare potest: nec ulli vestitum, aut armorum generi à natura fuit adstrictus. Quare in cap. 2. lib. 1. Polit. hominem scripsit habere arma per se sitam prudentiam, atque virtutem, quibus plurimum valet. Sed de his hætenus. Exiis enim intelligitur, optimam esse, maximèque naturalem intelligentis animæ cum nostro hoc corpore coniunctionem. Itaque cum

A & animæ definitionem satis explicatam, & illius vim & naturam vniuersam optimè cognitam habeamus: in eorum, quæ deinceps ab Aristotele traduntur, interpretatione progrediendum est.

DE FACULTATIBVS ANIMÆ
in genere.

C A P. III.

T E X T V S.

Τὸν δὲ δυνάμιον τῆς ψυχῆς ἀνελεῖται, τῆς γὰρ οὐκ ἐστὶν ἐν αὐτῇ, καὶ οὐκ ἐστὶν ἐν αὐτῇ, τῆς δὲ τῆς αὐτῆς οὐκ ἐστὶν ἐν αὐτῇ. δυνάμιον δὲ ἐστὶν, ὁρμητικὸν, ἐπιθυμητικὸν, κινητικὸν, καὶ πικρὸν, ὁρμητικὸν, ὑπερβολικὸν δὲ τῆς αὐτῆς οὐκ ἐστὶν ἐν αὐτῇ, ὁρμητικὸν δὲ τῆς αὐτῆς οὐκ ἐστὶν ἐν αὐτῇ, ὁρμητικὸν δὲ τῆς αὐτῆς οὐκ ἐστὶν ἐν αὐτῇ. ὁρμητικὸν δὲ τῆς αὐτῆς οὐκ ἐστὶν ἐν αὐτῇ, ὁρμητικὸν δὲ τῆς αὐτῆς οὐκ ἐστὶν ἐν αὐτῇ. ὁρμητικὸν δὲ τῆς αὐτῆς οὐκ ἐστὶν ἐν αὐτῇ, ὁρμητικὸν δὲ τῆς αὐτῆς οὐκ ἐστὶν ἐν αὐτῇ.

B Facultatum autem anima, quæ dictæ sunt, aliis quidem in suis omnibus, vt diximus, aliis vero quædam ipsarum, quibusdam vero vna sola. Facultates autem diximus, vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, motiuum secundum locum, rationale. Inest autem plantis quædam vegetatiuum solum, aliis autem & hoc & sensitiuum. Si autem sensitiuum, & appetitiuum. Appetitus enim concupiscentia, & ira, & voluntas. Animalia autem omnia habent vnum ex sensibus iactum. Cui autem sensus inest, hæc & voluptas & dolor, & iucundum & molestum. Quibus autem hæc & concupiscentia. Incondit enim appetitus est ipsa.

COMMENTARIVS XXVIII.

Dicerem in huius textus cum superioribus conjunctione omnes consentire, nisi paucos & verò nobiles Interpretes dissentientes viderem. Egidius enim inter Latinos Philosophum, inquit, post expositam animæ definitionem tum communem, tum propriam, propterea nunc facultates commemorasse, vt appetitum ostenderet vitæ gradum non esse à cæteris distinctum. Atque ex Græcis Simplicius facultates hæc eam ob causam enumeratas addidit, vt id explicaret, quod in superiori textu affirmauerat; non coniungi quamlibet animam cum quolibet corpore, sed cum determinato, atque ad eam suscipiendam comparato. Propterea adferri nutrientem solum in plantis inesse, in animalibus sentientem quoque & appetentem, in aliis præter has mouentem & intelligentem: vt scilicet corpora habent magis aut minus perfecta.

Magis est Aristoteli consentanea interpretatio Themistij, Philoponi, Auertroi, Alberti, & S. Thomæ, qui post expositam animæ essentiam interpretati sunt agi de facultatibus, quæ ab ea essentia deriuantur. Præsertim cum superius quoque earum mentionem fecisset, postque magis explicandam rem proposuisset in textu 18. & 23. Itaque cum antea exposuerit esse absolutum animæ, nunc esse operatiuum aggreditur: antea docuit quomodo anima sit actus essentialis corporis, vt subiecti, deinceps ostendit quomodo eo ytatur vt organo.

Principio igitur non de singulis facultatibus in specie, sed de vniuersis earum generibus differens: ex iis, quæ antea dictæ sunt, eas accipit non omnes in viuentibus omnibus reperiri, sed in quibusdam omnibus; vt in homine, qualdam in aliis, vt in bestiis, in quibusdam vnam solum, hoc est non vt ait

NN